


ANTONIO STRAMAGLIA

GIOVENALE, *SATIRE* 1, 7, 12, 16
STORIA DI UN POETA



UNIVERSITÀ DEGLI STUDI DI BARI ALDO MORO
DIPARTIMENTO DI STUDI UMANISTICI
(DISUM)

INV. N. 016 - 9003673

PÀTRON EDITORE
BOLOGNA

Semper ego auditor tantum? Numquamne reponam
vexatus totiens rauci Theseide Cordi?
Inpune ergo mihi recitaverit ille togatas,
hic elegos? Inpune diem consumpserit ingens
Telephus aut summi plena iam margine libri 5
scriptus et in tergo necdum finitus Orestes?
Nota magis nulli domus est sua quam mihi lucus
Martis et Aeoliis vicinum rupibus antrum
Vulcani; quid agant venti, quas torqueat umbras
Aeacus, unde alius furtivae devehat aurum 10
pelliculae, quantas iaculetur Monychus ornos,
Frontonis platani convolsaque marmora clamant
semper et adsiduo ruptae lectore columnae.
Expectes eadem a summo minimoque poeta.
Et nos ergo manum ferulae subduximus, et nos 15
consilium dedimus Sullae, privatus ut altum
dormiret. Stulta est clementia, cum tot ubique
vatibus occurras, periturae parcere chartae.
Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,
per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus, 20
si vacat ac placidi rationem admittitis, edam.

Cum tener uxorem ducat spado, Mevia Tuscum
figat aprum et nuda teneat venabula mamma,
patricios omnis opibus cum provocet unus
quo tondente gravis iuveni mihi barba sonabat, 25
cum pars Niliacae plebis, cum verna Canopi
Crispinus Tyrias umero revocante lacernas
ventilet aestivum digitis sudantibus aurum
nec sufferre queat maioris pondera gemmae,
difficile est saturam non scribere. Nam quis iniquae 30
tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat se,
causidici nova cum veniat lectica Mathonis
plena ipso, post hunc magni delator amici
et cito rapturus de nobilitate comesa
quod superest, quem Massa timet, quem munere palpat 35
Carus et a trepido Thymele summissa Latino;
cum te summoveant qui testamenta merentur
noctibus, in caelum quos evehit optima summi
nunc via processus, vetulae vesica beatae?

Unciolam Proculeius habet, sed Gillo deuncem, 40
partes quisque suas ad mensuram inguinis heres.
Accipiat sane mercedem sanguinis et sic
palleat ut nudis pressit qui calcibus anguem
aut Lugudunensem rhetor dicturus ad aram.
Quid referam quanta siccum iecur ardeat ira, 45
cum populum gregibus comitum premat hic spoliator
pupilli prostantis et hic damnatus inani
iudicio? Quid enim salvis infamia nummis?
Exul ab octava Marius bibit et fruitur dis
iratis, at tu victrix, provincia, ploras. 50
Haec ego non credam Venusina digna lucerna?
Haec ego non agitem? Sed quid magis? Heracleas
aut Diomedea aut mugitum labyrinthi
et mare percussum puero fabrumque volentem,
cum leno accipiat moechi bona, si capiendi 55
ius nullum uxori, doctus spectare lacunar,
doctus et ad calicem vigilantem stertere naso;
cum fas esse putet curam sperare cohortis
qui bona donavit praesepibus et caret omni
maiorum censu, dum pervolat axe citato 60
Flaminiam puer Automedon? Nam lora tenebat
ipse, lacernatae cum se iactaret amicae.
Nonne libet medio ceras implere capaces
quadrivio, cum iam sexta cervice feratur
hinc atque inde patens ac nuda paene cathedra 65
et multum referens de Maecenate supino
signator falsi, qui se lautum atque beatum
exiguus tabulis et gemma fecerit uda?
Occurrit matrona potens, quae molle Calenum
porrectura viro miscet sitiante rubetam 70
instituitque rudes melior Lucusta propinquas
per famam et populum nigros efferre maritos.
Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum,
si vis esse aliquid. Probitas laudatur et alget;
criminibus debent hortos, praetoria, mensas, 75
argentum vetus et stantem extra pocula caprum.
Quem patitur dormire nurus corruptor avarae,

quem sponsae turpes et praetextatus adulter?
 Si natura negat, facit indignatio versum
 qualemcumque potest, quales ego vel Cluuienus. 80
 Ex quo Deucalion nimbis tollentibus aequor
 navigio montem ascendit sortesque poposcit
 paulatimque anima caluerunt mollia saxa
 et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas
 quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas, 85
 gaudia, discursus, nostri farrago libelli est.
 Et quando uberior vitiorum copia? Quando
 maior avaritiae patuit sinus? Alea quando
 hos animos? Neque enim oculis comitantibus itur
 ad casum tabulae, posita sed luditur arca. 90
 Proelia quanta illic dispensatore videbis
 armigero! Simplexne furor sestertia centum
 perdere et horrenti tunicam non reddere servo?
 Quis totidem erexit villas, quis fercula septem
 secreto cenavit avus? Nunc sportula primo 95
 limine parva sedet turbae rapienda togatae.
 Ille tamen faciem prius inspicit et trepidat ne
 suppositus venias ac falso nomine poscas:
 agnitus accipies. Iubet a praecone vocari
 ipsos Troiugenas, nam vexant limen et ipsi 100
 nobiscum. 'Da praetori, da deinde tribuno'.
 Sed libertinus prior est. 'Prior' inquit 'ego adsum.
 Cur timeam dubitemve locum defendere, quamvis
 natus ad Euphraten, molles quod in aure fenestrae
 arguerint, licet ipse negem? Sed quinque tabernae 105
 quadringenta parant. Quid confert purpura maior
 optandum, si Laurenti custodit in agro
 conductas Corvinus ovis, ego possideo plus
 Pallante et Licinis?'. Expectent ergo tribuni,
 vincant divitiae, sacro ne cedat honori 110
 nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis,
 quandoquidem inter nos sanctissima divitiarum
 maiestas, etsi funesta Pecunia templo
 nondum habitat, nullas Nummorum ereximus aras,
 ut colitur Pax atque Fides, Victoria, Virtus 115
 quaeque salutato crepitat Concordia nido.

Sed cum summus honor finito computet anno
 sportula quid referat, quantum rationibus addat,
 quid facient comites quibus hinc toga, calceus hinc est
 et panis fumusque domi? Densissima centum 120
 quadrantes lectica petit, sequiturque maritum
 languida vel praegnas et circumducitur uxor.
 Hic petit absenti nota iam callidus arte
 ostendens vacuum et clausam pro coniuge sellam.
 'Galla mea est,' inquit 'citius dimitte. Moraris? 125
 Profer, Galla, caput'. 'Noli vexare, quiescet'.
 Ipse dies pulchro distinguitur ordine rerum:
 sportula, deinde forum iurisque peritus Apollo
 atque triumphales, inter quas ausus habere
 nescio quis titulos Aegyptius atque Arabarches, 130
 cuius ad effigiem non tantum meiere fas est.

<* * *>

Vestibulis abeunt veteres lassique clientes
 votaue deponunt, quamquam longissima cenae
 spes homini; caulis miseris atque ignis emendus. 135
 Optima silvarum interea pelagique vorabit
 rex horum vacuisque toris tantum ipse iacebit
 (nam de tot pulchris et latis orbibus et tam
 antiquis una comedunt patrimonia mensa).
 Nullus iam parasitus erit. Sed quis ferat istas
 luxuriae sordes? Quanta est gula quae sibi totos 140
 ponit apros, animal propter convivia natum!
 Poena tamen praesens, cum tu deponis amictus
 turgidus et crudum pavonem in balnea portas.
 Hinc subitae mortes atque intestata senectus.
 It nova nec tristis per cunctas fabula cenas; 145
 ducitur iratis plaudendum funus amicis.
 Nil erit ulterius quod nostris moribus addat
 posteritas, eadem facient cupientque minores:
 omne in praecipiti vitium stetit. Utere velis,
 totos pande sinus. Dices hic forsitan: 'Unde 150
 ingenium par materiae? Unde illa priorum
 scribendi quodcumque animo flagrante liberet
 simplicitas?'. Cuius non audeo dicere nomen?

Quid refert dictis ignoscat Mucius an non?
 'Pone Tigillinum: taeda lucebis in illa
 qua stantes ardent qui fixo gutture fumant
 <.....>
 et latum media sulcum deducit harena'.
 Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
 pensilibus plumis atque illinc despiciat nos?
 'Cum veniet contra, digito compesce labellum:
 accusator erit qui verbum dixerit "Hic est".
 Securus licet Aenean Rutulumque ferocem
 committas, nulli gravis est percussus Achilles
 aut multum quaesitus Hylas urnamque secutus:
 ense velut stricto quotiens Lucilius ardens
 infremuit, rubet auditor cui frigida mens est
 criminibus, tacita sudant praecordia culpa.
 Inde ira et lacrimae. Tecum prius ergo voluta
 haec animo ante tubas: galeatum sero duelli
 paenitet'. Experiar quid concedatur in illos
 quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

155

160

165

170

(D) 1-21. Estenuato dalle infinite recitazioni di poesia d'ogni genere cui deve sottostare quotidianamente, G. decide di rendere la pariglia mettendosi a sua volta a comporre: ha infatti la medesima formazione di quanti scrivono versi, e d'altra parte il livello dei poeti è ormai di mediocre uniformità. Egli però intende abbracciare non l'epica o altra poesia 'elevata', bensì la satira, e si accinge a spiegarne i motivi.

1-6. Semper ~ Orestes?: «Sarò sempre solo un ascoltatore, io? Tante volte tormentato dalla *Teseide* di Cordo arrochito, non potrò mai rivalermi? Impunemente, quindi, uno mi avrà recitato togate, un altro elegie? Impunemente avrà consumato la mia giornata un enorme *Tèlefo*, o un *Oreste* scritto sul margine ormai pieno alla fine del libro e sul retro, e non ancora finito?». L'esordio è brusco, gonfio di una veemenza che si accresce via via attraverso quattro interrogative retoriche di lunghezza crescente ed altri procedimenti amplificatori (*ad 1ss.*). Il poeta spiega il primo motivo per cui intende comporre poesia: rendere il contraccambio (*reponam*) ai tanti di cui assiste quotidianamente alle *recitationes* (vd. *ad 7, 39-40*), quasi come un ascoltatore professionista (*auditor*). Di per sé, è un richiamo sardonico alle regole della buona società, secondo cui chi andava come *auditor* alle pubbliche letture di altri rimaneva poi *creditor* verso costoro, che dovevano a loro volta presenziare alle esibizioni di chi li aveva ascoltati (ci scherza su Plin., *Epist.* 1, 13, 6). Ma naturalmente si tratta di una dichiarazione proemiale di poetica: un rifiuto (*recusatio*) dell'epica, e della poesia più o meno 'elevata' in genere, per la sua vacua e ripetitiva uniformità. Al tempo stesso, viene innescata quella dialettica fra volontà e difficoltà di rompere il silenzio, che tornerà centrale nella chiusa del componimento (150-171; vd. Larmour¹, 57-62; 71-74 e *ad 170-171*).

1-2. Semper ~ Cordi?: nel momento stesso in cui si appresta a ricusare la poesia 'elevata', G. evoca subito uno dei modelli del genere letterario che andrà invece ad abbracciare, cioè Orazio. Come infatti già notarono i commentatori antichi (Ps.-Acro II, p. 274, 21 Keller), il verso di apertura allude chiaramente a Hor., *Epist.* 1, 19, 39: *non ego, nobilium scriptorum auditor et ultor*. «Con il primo verso, dunque, il poeta esige che il lettore individui l'originale da cui prende l'avvio e di cui si utilizzano motivi, immagini, espressioni, ma esige pure che nel confronto gusti la novità della creazione: per Orazio il componimento segna il suo distacco dalla polemica, per Giovenale ne è invece